



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio III. De suspensione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Sed an possit pater communicare cum filio excommunicato denunciato, Dominus cum seruo, praelatus religioso: asserunt aliqui, quod propter Doctorum autoritatem est practicè securum, speculatiuè tamen est minus probabile respectu serui seposito titulo necessitatis, vel utilitatis.

Causa excusantes solent his verbis comprehendendi.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necessè.

QVÆSTIO III.

De suspensione.

DVBIVM I.

De natura, & causis suspensionis.

I.
Suspensio
dupliciter
sumitur.

Quid sus-
pensionis, cen-
sura.

Sub Eccle-
siastica per-
sona com-
prehendi-
tur Abba-
tissa.
Henriquez
Suar.

Cap. quia
periculosu.

NOMEN suspensionis interdum late sumitur pro omni prohibitione, & separatione ab exercitio potestatis, siue secularis, siue Ecclesiasticae, interdum verò strictius pro quadam censurà Ecclesiasticà, de qua in presenti quaestione agendum.

Est ergo suspensio, de qua agimus, censura Ecclesiastica per quam persona Ecclesiastica impeditur, ne functiones ecclesiasticas exerceat, vel utatur potestate Ecclesiasticà, ex quo facile patere potest discrimen inter excommunicationem, & suspensionem; quamuis enim excommunicatio maior habeat omnes effectus suspensionis materialiter loquendo, differunt nihilominus inter se, quòd excommunicatio priuet aliquibus, ut sunt bona quædam communia, quibus fideles inter se communicant: suspensio verò priuet iisdem, ut sunt usus Ecclesiasticæ potestatis, comprehendendo potestatem proveniente ex officio, & beneficio.

Ex eo quòd suspensio sit censura, ab eà excluditur, quidquid excluditur à ratione censuræ, ut degradatio, depositio, per quam homo in perpetuum suspenditur ab officio.

Ex prædictà definitione patet, quæ sit causa materialis & subiectum quod potest affici censurà suspensionis:

Constat enim esse solam personam Ecclesiasticam, quia per suspensionem impeditur usus Ecclesiasticæ potestatis, quinon potest competere laico, sub personà Ecclesiasticà comprehenditur Abbatissam, seu eam posse suspendi docent Henriquez lib. 13. cap. 31. num. 2. Suarez disp. 30. sect. 1. num. 2. addit Henriquez num. cit. regularem etiam carentem primà tonsurà posse suspendi, quod repetit cap. 14. num. 2. sub personà Ecclesiasticà comprehendendo etiam Ecclesiasticam communitatem, nem, ut patet ex cap. unico, ne sede vacante §. 1. in 6. Capitulum potest suspendi à functionibus sibi tanquam vni corpori competentibus v.g. à collatione beneficiorum.

Aduerte quòd licet omnis Ecclesiasticus inferior Pontifice suspendi possit, suspensionem tamen generaliter latam in Constitutione, sententià, mandato non comprehendere Episcopum, nisi eius fiat mentio, ut decernitur cap. quia periculosum, de sententià excommunicationis, in 6. quod varij intelligunt etiam de Cardinali non Episcopo, gaudent verò illo privilegio Episcopi confirmati, quamuis nondum consecrati, quia fauor

absolutè conceditur dignitati Episcopali.

Confir. iuxta Doctores per illud privilegium Episcopus non censetur suspendi à beneficio. videri potest glossa cap. cit. verbo, officij.

Dices ratio canonis non habet locum in non consecratis: nimirum quia periculosum est Episcopos suspendi propter executionem Pontificalis officij, quod frequenter incumbit.

Resp. id non referre, quia eo non obstante fauor absolutè conceditur Episcopali dignitati ut autem aliquis gaudeat privilegio absolutè concessio, non requiritur ut ratio motiua in quouis particulari reperiatur.

Censuram suspensionis ferre potest quisquis habet iurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam, vel delegatam in foro contentioso, non impediam. videri possunt dubium 4. & §. q. 1. & quæ ibi dicta sunt hic possunt applicari.

Vtrum excommunicatus, vel suspensus ab officio toleratus validè possint in aliquem ferre sententiam suspensionis videri potest q. cit. dub. 7. sub finem, iunctis iis quæ diximus ex Suarez q. præcedenti dub. 12. si enim ad hoc, ut censura suspensionis sit valida, requiratur contumacia, quæ contumacia non inueniatur respectu eius, qui est excommunicatus, vel suspensus quantumuis toleratus, cum inferior non teneatur illi communicare, & eius præcepto parere, sequitur quòd non possit validè suspendere, imò idem videtur dicendum, licet sufficiat peccatum præteritum ut feratur censura suspensionis, quia ipsa latio censuræ est exercitium iurisdictionis coercitiuæ, cui alij non tenentur in nostro casu se subdere, & non tenentur in suum grauamen ei communicare.

Ex eo quòd ad ferendam censuram suspensionis requiratur iurisdicchio in foro contentioso, patet quando confessarius impedit seu prohibet sacerdoti consentiri, ne aliquanto tempore celebret, non ferre censuram, sed esse simplex præceptum.

Causa propter quam ferretur suspensio est peccatum externum, ut dictum est q. 1. dub. 6. & quidem debet esse consummatum iuxta modum, quo in iure, vel sententià exprimitur, ut ibidem dictum.

Gravis suspensio non nisi propter mortale infligitur, leuior propter veniale potest ferri, ut varij Doctores. Caiet. in summa, verbo suspensio. Henriquez lib. 13. cap. 31. num. 1. Saitus lib. 4. thesauri casuum cap. 1. num. 19. qui plures citat. docent tamen nunquam incurri suspensionem iure latam nisi propter mortale.

Aduerte, ut suspendatur communitas per modum vnus corporis, non requiri ut singuli peccauerint, sed sufficere ut peccarit maior pars, vel superior nomine communitatis aliquid faciens.

An præter peccatum præteritum requiratur contumacia colligi potest ex dictis q. 1. dub. 7. communiùs negatur, asserit tamen Suarez ibi citatus, iuxta quam sententiam, si superior aliquem suspendat propter nudum peccatum præteritum, is transgrediens etiam in functionibus ordinis, non videtur teneri se habere tanquam irregularem: quia non est transgressus censuram, sed simplex præceptum. cum iuxta illam sententiam suspensio habeat rationem simplicis pænæ, & prohibitionis, quamuis de irregularitate contrarium sentiat Suarez variis locis.

Ex his patet quando quis absque sua culpa prohibetur exercere aliquam functionem Ecclesiasticam, verbi gratia, cum quis prohibetur celebrare

propter

propter lepram, vel senium, non esse censuram, censuram transgressio inducat irregularitatem.

Quantum ad formam, quā ferri possit suspensio, videri possunt dicta q. 1. dub. 11. & diligenter consideranda verba, an contineant censuram latam, an solum ferendam. videndum etiam dubium 12. ubi egimus de monitionibus requisitis, ut Index in aliquem ferat censuram. quas monitiones verisimile est non requiri ad valorem suspensionis, ut dubio 12. diximus, quamvis aliqui eas requirant, ut feratur suspensio quā sit censura. videri possunt ibidem dicta de scripturā necessariā ut non peccet Index ferens censuram suspensionis. ubi

Aduerte quod si praelatus solo verbo dicat sacerdoti: te suspendo a celebratione, iudicandum sit esse simplicem prohibitionem, non verò censuram, cum non debeat praesumi in suo facto peccare, si tamen religio habeat privilegium, ut etiam absque scripto licet ferat censuram, videndum num in tali Ordine frequenter soleant ferri censuræ. si enim rariùs ferantur, iudicandum est esse simplicem prohibitionem si saltem crimen non sit valde graue, nisi constet de contraria intentione praelati iudicandum verò erit esse censuram, si frequentius eo modo ferri soleant.

D V B I V M II.

De diuisione suspensionis, & varijs eius modis.

OMISSA diuisione suspensionis in eam, quæ est à iure, & eam, quæ fertur ab homine,

Suspensio diuiditur 1. ex parte durationis in eam, quæ fertur ad certum tempus, v.g. ad triennium &c. quales plures feruntur tum alibi, tum in Concil. Trid. & eam quæ fertur absolute, seu indefinitè, ubi

Notandum posteriore hoc sensu esse perpetuam, quod perpetuo duret, nisi tollatur per nouam absolutionem: priorem verò tolli elapso termino sine noua absolutione. De quā peti posset, num sit censura propiè dicta? & quidem Suarez varijs locis negat, asserens esse simplicem penam. videri potest disp. 7. sect. 1. num. 9. & disp. 25. sect. 2. num. 4. eò quod superior non teneatur tollere huiusmodi suspensionem ante præfixum terminum, quantumcumque is, qui ita suspensus est, sit paratus obedire Ecclesiæ, quod videtur esse contra rationem censuræ, quæ debet tolli recedente à contumaciā eo, qui illam incurrit, & parato obedire Ecclesiæ. quod probatur, censura est pœna medicinalis, quæ dirigitur ad emendationem eius, qui illa irretitur, ergo debet tolli eo respiciente, si enim superior non deberet illo casu eam tollere, non posset rationabiliter dici medicina.

Nihilominus communis sententia videtur contraria, quatenus nullus videtur censere suspensionem non esse censuram eo solo, quod ad tempus imponatur, sed participare rationem solius pœnæ. inde enim videtur sequi Doctores tacitè sentire etiam huiusmodi suspensionem esse censuram.

Confir. 1. propter transgressionem suspensionis etiam ad tempus posita potest incurri irregularitas, ut patet ex cap. 1. de sententiā excommunicationis in fine, in 6. ubi de eo qui propter neglectum eorum, quæ prædicto capite constituuntur, suspensus est per mensem à diuinis officiis, dicitur quod incurret irregularitatem, si diuina exequatur officia, sicut prius igitur illa suspensio est

censura, cum iudicio communi nullus censetur irregularis, si celebret contra simplex præceptum Episcopi prohibentis in penam alicuius peccati, ne per mensem celebret.

Confir. 2. si quid concluderet ratio allata, dicendum similiter esset suspensum, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, non incurtere censuram, qualis suspensio ponitur in Tridentino sess. 23. cap. 8. de reformatione. nam Episcopus non tenetur talem etiam penitentem statim absolueret. id autem videtur falsum (quamvis Suarez disp. 26. sect. 1. nu. 16. idem de illa censet, quod de temporali) cum Concilium suspendens videatur irretire censurā, & ex declaratione Cardinalium propter violationem talis suspensionis incuratur irregularitas. probatur 2. non facile potest ostendi, quod in tali suspensione sit aliquid repugnans naturæ censuræ, nam suspensio ad tempus posita potest etiam dici medicinalis, cum etiam talis suspensio non solum alijs, sed & ipsi suspensio per modum medicinæ prodesse possit, & possit tolli, cum reipsa elapso termino tollatur, multumque possit iuuare, ut suspensus recedat à contumaciā.

Ex quibus patet responsio ad rationem in contrarium. dico enim licet sit satis conformetur naturæ censuræ, ut tollatur per superiorem, quando inferior recedit à contumaciā, non tamen ita esse intrinsecum, ut etiam iustis de causis censura non possit ad certum tempus relinqui in penitente, vel etiam ad incertum secundum superioris iudicium.

2. Suspensio ex parte rei à quā aliquis suspenditur, diuiditur in suspensionē ab officio, suspensionem à beneficio, & suspensionem ab vtroque item in suspensionem ab omni officio, & in eam quæ est à parte officij, similiter in suspensionem à beneficio absolute, & in suspensionem à quibusdam functionibus competentibus ratione beneficij, quæ patebunt ex varijs modis, quibus fertur suspensio.

Primus modus ferendi censuram suspensionis esse potest, cum quis suspenditur ab officio absolute, ex vi talis censuræ clerico interdicitur omne exercitium proueniens ratione officij, scilicet tam ordinis, quàm iurisdictionis, ita ut sic suspensus non possit licet celebrare, Eucharistiam præbere, confessiones excipere, ordinare, confirmare, altaria, virgines, calices consecrare, non possit leges ferre, censurā irretire, ab eadem absolueret, in votis dispensare &c. exceptis casibus, quibus in simili, quæstione præcedenti dictum est excommunicatum posse etiam licet hæc exercere.

Secundus modus esse potest cum quis suspenditur ab ordine, per quem suspensionis modum interdicitur omne exercitium ordinis etiam minoris.

Tertius est, cum quis suspenditur à certo ordine, per hunc modum interdicitur omnes functiones illius ordinis, ut si quis suspendatur ab ordine sacerdotali, prohibetur omnis functio propria sacerdoti, v.g. sacrificium Missæ, collatio extremæ vnctionis, benedictio sponsæ, aquæ lustralis, si quis suspendatur à pontificalibus, prohibetur ordines etiam minores conferre, confirmare, templa, calices, chrisma consecrare, populo solemniter benedicere, non potest in sacro &c. uti apparatu insignium Pontificalium. ubi tamen aduerte, quod iuxta communior sententiam non incurrat irregularitatem, si sacrum cum tali apparatu faciat, eò quod sacrificium non sit munus Episcopi ut

sic,

Satisfactio in contrarium.

II.

Secunda diuisione suspensionis.

12.

Primus modus ferendi suspensionem.

13.

Secundus modus suspendendi.

Tertius.

14.
Qui prohibet maius, non censetur prohibere minus.

sic, sed sacerdotis, cuius exercitium per suspensionem ei non interdictur.

Notandum enim est, suspensionem ab ordine superiori non suspendi ab exercitio ordinis inferioris, nam qui prohibet maius, non censetur prohibere minus. Suspendus tamen ab ordine inferiori censetur saltem aliquo modo indirecte impediri ab exercitio ordinis superioris propter indecentiam, cum sit minus decens eum, qui non potest licite exercere functiones ordinis inferioris, exercere functiones ordinis superioris, ut impeditum exercere functiones diaconi, obire munia sacerdotis, & aliquid impeditum exercere functiones sacerdotales, seu suspensionem a toto officio sacerdotis, exercere functiones Episcopales, propter quam rationem suspensus ab ordine inferiori indirecte saltem impeditur ascendere ad superiorem.

15.
Quaestio.

Resolutio negat.

Sed an graviter sit peccaturus, vel incursum irregularitatem, si secus faciat? aliqui affirmant futurum irregularem, sed contrarium verius est, cum talis proprie non peccet contra censuram, cum supponatur non esse illi per ius directe prohibita functionem superioris ordinis, sed ad summum per quandam consequentiam, quod non sufficit, ut quis incurrat irregularitatem, imò existimo non graviter peccare, videri potest Suarez disput. 26. sect. 4. num. 8. qui dicit aliquos existimare suspensionem inferioris ordinis non redundare in maiorem quoad actus non connexos, quorum sententiam dicit esse probabilem, quia quod suspensus ab ordine inferiori non possit exercere functiones ordinis superioris, vel ad eum ascendere, non tam oritur ex precepto positivo, vel etiam stricto naturali, quam ex decentia, quae non permittit illum exercere functiones ordinis superioris.

16.

Suspensus, est ubique suspensus, ex dispositione Ecclesiae.

Notandum, nisi ex circumstantiis, vel aliunde constet contrarium, suspensionem ab ordine vel absolute, vel ex parte, ubique esse suspensionem, ita ut nullibi possit, per se loquendo, exercere actus ordinis, a quo est suspensus, quod etiam verum est de suspensione lata ab Episcopis, & alijs inferioribus iudicibus, nam quamvis ij non habeant iurisdictionem in totam Ecclesiam, eorum sententia ubique astringit suspensionem ex dispositione Ecclesiae, quae voluit suspensionem legitime latam in aliquem, eum ubique ligare.

Dixi, per se loquendo, propter dicta dubio penultimo quaestiones praecedentis, quae hinc etiam possunt applicari.

17.

Suspensus pro certo loco, non suspenditur pro alio.

Dixi etiam, ex circumstantiis &c. quia licet excommunicatio ex usu Ecclesiae non feratur limitate, suspensio tamen ex eiusdem usu limitate ferri potest quoad functiones, quoad locum, quoad tempus. unde suspensus pro certo loco non suspenditur pro alio. ut si quis suspendatur a confessionibus, vel concionibus pro certa diebus, civitate, potest alibi eas functiones obire, quando autem suspensio sit restricta quoad locum, si non pateat ex verbis id disertè exprimentibus, prudenter ex circumstantiis est expendendum.

18.

Quartus modus ferendi suspensionem.

Celebratio non solet comprehendere sub administratione

Quartus modus esse potest, quo quis suspenditur a certa functione ordinis, v. g. ab excipiendis confessionibus, a celebratione Missae, ab administratione Sacramentorum, quando aliquis hoc potestremo modo suspenditur, prohibetur ei omnis collatio Sacramentorum ex officio, non tamen prohibetur celebrare, quia sacrificium Missae non solet comprehendere sub administratione Sacra-

mentorum. si Episcopus suspendatur a collatione ordinum, non potest etiam minores conferre, potest tamen conferre consuetam, quia non est ordo, si suspendatur a collatione certi ordinis, videtur posse alios conferre quamvis digniores, quia collatio ordinum est functio eiusdem potestatis, non vero usus potestatis sublimioris, & proinde conferendo maiorem ordinem, a quo non est suspensus, non censetur uti ordine sublimiori, sed solum exercere functionem sui ordinis, quae illi non est interdicta, patet in simili in eo, qui suspensus ab audiendis confessionibus, qui communi iudicio potest celebrare, cum tamen id sit maius. & ita sentit Suarez disput. cit. sect. 4. num. 11. & sequentibus. contrarium tenet Henriquez lib. 13. cap. 32. num. 2. Toletus lib. 1. cap. 43. num. 1. Avila 3. parte disp. 2. dub. 1. concl. 11.

Quintus modus esse potest, cum quis suspenditur a iurisdictione. hic nullos iurisdictionis actus potest exercere, non potest iudicare, excommunicare, delegare potestatem excipiendi confessiones (quamvis aliqui quoad hoc contrarium sentiant, sed improbabilius) sacramentaliter absolovere &c. potest tamen exercere functiones ordinis, qui non sunt actus iurisdictionis. unde Episcopus ita suspensus potest conferre Sacramentum Confirmationis, consecrare templa, altaria, & alia Episcopalis ordinis munia obire. Nec refert, quod haec requirant iurisdictionem in alium, ut licite exerceantur, quia nihilominus non sunt secundum suam substantiam, & in se intrinsece actus iurisdictionis, qui soli videntur prohiberi per suspensionem a iurisdictione. Si certus iurisdictionis actus interdicitur, potest alios licite exercere, cum ab ijs non sit suspensus.

Ex quibus patet quod suspensio ab officio lata, absolute comprehendat omnes effectus, & prohibitiones explicatas his quinque modis.

Sed inter Doctores controuertitur num etiam inuoluatur suspensio a beneficio, aliqui vniuersaliter asserunt, alij varias ponunt limitationes, quorum sententiae videri possunt apud Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 51. qui decem hac de re opiniones refert.

Verum dico cum eodem disp. cit. num. 12. & Suarez disp. 26. sect. 3. num. 4. Sa verbo suspensio num. 1. Henriquez lib. 13. cap. 32. num. 1. suspensionem ab officio simpliciter latam non includere suspensionem a beneficio.

Probatur 1. suspensio ab officio, & suspensio a beneficio passim censentur distinctae, igitur vna non inuoluitur in alia. 2. interdum fertur suspensio ab officio, & a beneficio, ut patet ex cap. 1. de secundis nuptijs, ergo signum est quod suspensio ab officio non inuoluit suspensionem a beneficio: alioquin frustra adderetur, a beneficio. 3. suspensio ab officio communi iudicio non videtur aequivalere suspensioni simpliciter latae: aequivaleret autem si per suspensionem latam simpliciter ab officio, intelligeretur etiam suspensio a beneficio, cum suspensio lata simpliciter non comprehendat aliud, quam suspensionem ab officio, & beneficio. 4. odia sunt restringenda, non est ergo quod dicamus sub suspensione ab officio comprehendere suspensionem a beneficio.

Confr. suspensio ab officio in suo conceptu non dicit suspensionem a beneficio, neque enim dicit ex iuris dispositione, cum non habeamus vllum ius, quo statuitur suspensus ab officio, eo ipso suspendi a beneficio, neque etiam talis

talis suspensio per quandam consequentiam debet asseri.

Obiectio. Dices debere, eò quòd beneficium sit propter officium, ergo cui interdictum est officium, eo ipso censetur suspensus à beneficio.

Resp. 1. si hoc legitime inferatur, sequi ex natura rei talem priuari beneficio, quod nullus concedit; item superiorem non posse suspendere à solo officio quin semper sequatur suspensio à beneficio, cuius tamen contrarium asserunt varij, dicentes quòd quando in suspensione ponitur à solo officio, non comprehendatur suspensio à beneficio, unde Resp. 2. negando consequentiam. quamvis enim erectio beneficiorum sit propter præstandum officium, nihilominus acquisito semel legitime titulo, neque is amittitur eò quòd officium præstare nequeat, neque ex rei natura amittuntur fructus, ut patet in Canonico, qui præ senio, morbo, vel alio legitimo impedimento officium præstare non potest, qui nihilominus fructus beneficij potest etiam licite retinere; & nisi aliter ab Ecclesiâ esset constitutum, etiam omittens legere horas canonicas posset fructus suos facere, neque ex rei natura eos amitteret, patet in beneficiario qui primo semestri omittens etiam culpabiliter legere horas canonicas fructus suos facit. his adde quòd suspensus ab officio teneatur horas canonicas legere, ergo si eas legat, potest fructus beneficij recipere, 2. si choro interstit, potest recipere distributiones, etiam si peccaret sese præsentem exhibendo, quia nihilominus ponit conditionem requisitam ut quis distributiones possit recipere. adde tamen non peccare, dummodo non obeat ea, quæ certo ordini clericali annectuntur, v. g. non legat capitula, collectas, Dominus vobiscum. quia per suspensionem ab officio non censetur comprehendere officium quod vocant canonicum. 3. beneficiarius non semper tenetur per se officium præstare, sed sæpe potest vel totum, vel aliquam eius partem præstare per substitutum, si ergo ita præstet non est quòd propter suspensionem ab officio dicamus eum suspendi à beneficio: v. g. beneficiarius suspensus ab officio potest curare celebrari sacra quæ debet ratione beneficij persolvere, ergo suspensio ab officio non necessario impedit receptionem fructuum beneficij, adde quòd licet totum officium omitteret, posset nihilominus sibi aliquam partem proutuum retinere ratione tituli, ut varij censent de eo qui omittit legere horas canonicas.

21. Nisi Ecclesiâ aliter disposuerit, beneficij fructus non amittuntur legere horas canonicas posset fructus suos facere.

22. Sextus modus suspensionis esse potest, quo quis suspenditur à beneficio. per hunc aliquis suspenditur à recipiendis fructibus beneficij etiam distributionibus, cum hæ sint partes fructuum beneficij, quamvis dentur præsentibus diuino officio. suspenditur etiam ab agendo in iudicio ratione beneficij &c.

Dubium. Dubitatur autem num eo ipso ita priuetur fructibus, ut ante omnem sententiam eos non faciat suos: affirmant varij conformiter ad id, quod dicunt de excommunicato. non est tamen improbabile quòd si fructus ei non subducantur, possit eos recipere, & retinere, iuxta id quod in simili dictum est quaestione præcedenti dub. 11. & docet Saverbo *suspensio* nu. 7. unde aliquis suspensus per ius à beneficio, potest tutà conscientia recipere fructus beneficij, etiam distributiones, si diuino officio publico interfuerit.

23. Aduerte etiam quòd suspensus à beneficio debeat ali ex fructibus beneficij, si non possit aliunde sustentari, & non sit in morâ petendi absolutionem.

de sustentari, & non sit in morâ petendi absolutionem.

Notandum suspensum simpliciter à beneficio intelligi suspensum ab omni eo quod possidet. atque ita si quis per ius, vel sententiam suspendatur sine addito à beneficio, nisi constet de contraria intentione iudicis, vel colligatur contrarium ex adiunctis, intelligitur suspensus ab omnibus beneficijs, vbicumque ea possideat, interdum tamen colligi potest suspensio solum à certo beneficio, vel certæ Ecclesiæ, ut si quis suspendatur propter peccatum contra certam Ecclesiam commissum, solum suspenditur à beneficijs quæ in tali Ecclesiâ possidet: similiter si quis suspendatur sub titulo canonici, videtur solum suspensio à canonicatu, nisi de contraria iudicis voluntate constet.

24. Si quis solum suspendatur à certo beneficio, non potest priuari fructibus aliorum beneficiorum, potest etiam alia beneficia recipere. imò quamvis sit simpliciter suspensus à beneficio, videtur posse aliquod beneficium recipere, quantum est ex parte censura. quia optime potest consistere, quòd aliquis possit acquirere titulum, quamvis deberet priuari fructibus inde prouenientibus: ergo quamvis verum esset, quòd ita simpliciter suspensus à beneficio, priuaretur eo ipso fructibus omnium beneficiorum, posset nihilominus quantum est ex parte censura, nouum beneficium recipere.

25. Petes, an suspensus à beneficio suspendatur à iure collationis beneficij, confirmationis, electionis, præsentationis sibi proueniente ratione beneficij, à quo est suspensus: affirmant aliqui eò quòd tale ius sit fructus beneficij. indicat Nauarr. cap. 27. num. 160. Toletus cap. 43. cit. sub medium, Henriquez supra num. 4. alij negant reducentes hæc ad officium. ita Suarez disp. 25. sect. 2. num. 14. qui reuocat ad iurisdictionem, & disp. 26. sect. 4. num. 5. Auila parte 3. disp. 2. dub. 1. conclus. 4. verum prior sententia videtur probabilior: quia tale ius est quidam proutus beneficij, videri potest Suarez disp. 40. sect. 2. num. 25. & huiusmodi iura solent cedere ijs, quibus cedunt fructus beneficij vacantis. nec obstat quòd sint quedam officia, quia id quod est officium, potest simul esse fructus alterius, v. g. beneficij, quemadmodum aliquis actus iurisdictionis potest simul esse actus ordinis, ut absolutio sacramentalis. unde dico hæc, & huiusmodi subire & rationem officij, & rationem fructus beneficij diuersâ consideratione, & tamen eum, qui suspenditur à beneficio, quam eum, qui suspenditur ab officio, ab his suspendi.

Septimus modus est, quo quis suspenditur ab administratione temporali, & spiritali. huic prohibetur agere in iudicio de iuribus & possessionibus sui beneficij, item ministrare Sacramenta, & iurisdictionem exercere.

Ex his facile patere possunt innumeri alij modi partiales suspensionum. potest etiam patere, quam latè pateat suspensio simpliciter lata. extendit enim se ad ea quæ hic recensuimus, & ad alia quæ ex his facile possunt colligi.

DVBIVM III.

De quibusdam alijs effectibus suspensionis.

26. **E**X dictis dub. superiori facile possunt colligi varij suspensionis effectus, præter quos alij ex eadem oriuntur. nam 1. qui exercet functionem, à quâ est suspensus, per se loquendo, & ex suo genere mortaliter peccat, quamvis interdum propter leuitatem materiæ, vel defectum sufficientis deliberationis possit excusari à mortali. 2. interdum propter exercitium officij incurritur irregularitas, de quâ infra. & quidem, per se loquendo, suspensus nullibi potest exercere actus, à quibus suspensus est, ut potest colligi ex dictis, quia censura vim suam ubique obtinet.

Petes 1. an alij teneantur vitare suspensum nominatim denuntiandum? Resp. negatiue, nisi quantenus censentur ei cooperari in eo, à quo est suspensus. quia vi censuræ nulla alia communicatio cum suspenso interdicitur, neque ex rei naturâ prohibetur, vnde possumus audire Missam illius, qui est suspensus à celebratione Missæ, modò ei non inferuiamus. ab eo tamen, qui suspensus est ab audiendis confessionibus, non possumus absolutionem recipere, & qui tali confiteretur, grauiter peccaret, cooperando eius actui illicito.

Petes 2. an collatio beneficii facta suspenso ab officio sit nulla? communius affirmatur ex cap. *cum dilectus*, de consuetudine, ubi dicitur: *Quia nobis constitit electionem ipsam à suspensis & de suspensis etiam celebratam, eam instituta cassauimus exigente; particulam, cassauimus*, explicando cassam, & irritam nuntiavimus. videri potest glossa. sed nō est improbabile quod nō sit ipso facto irrita, ut in simili diximus de collatione factâ irritito minori excommunicatione, sed solum sit irritanda, consentit Suarez disp. 26. sect. 3. num. 8. neque contrarium solidè probatur ex cap. citato. quia Pontifex non solum ponderat, quod electio facta esset de suspenso, sed etiam à suspensis, qui utique priuati erant iure eligendi. adde potuisse cassari à Pontifice etiam propter suspensionem electi, quamvis non esset ex eo capite ipso iure irrita, quemadmodum non est irrita ipso iure naturæ, ut alibi ostendimus de excommunicatione minori excommunicatione.

DVBIVM IV.

De absolutione à suspensione.

29. **N**OTANDUM suspensionem latam in aliquem per sententiam particularem, saltem ex causâ cognitione, non posse tolli ab alio, quam eo qui tulit, vel eius successore, vel superiore &c. iuxta dicta q. 1. dub. 13. Quod si lata sit ab homine per sententiam generalem, quæ se habeat per modum præcepti, nec sit reservata, verisimile est posse tolli ab eo qui potest absolvere à suspensione non reservatâ.

Aduerte quando propter aliquod factum præteritum suspenduntur authores, si ij sint occulti, Episcopum posse absolvere iuxta facultatem ei concessam per Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reformatione. vnde si ad idem crimen varij concurrerint, quorum aliqui sint noti, alij ignoti, & feratur suspensio in omnes, quamvis Episcopus non possit absolvere eos, quos constat censuram incur-

risset, potest tamen alios absolvere qui sunt occulti. idem Episcopus potest absolvere à suspensione iuris etiam reservatâ, quando crimen est occultum, iuxta dicta q. 1. dub. 14. quod etiam possunt Abbates habentes Episcopalem iurisdictionem in sæculares, idque etiam verum est de suspensione ad tempus positâ.

Potest etiam absolvere à suspensione iuris non reservatâ. imò variorum sententiâ idem potest parochus, & alius sacerdos valens absolvere à mortalibus, ut diximus dub. 14. cit. quod intelligo, quando lata est indefinitè, & quando ponitur in pœnam propter peccatum præteritum, si retineatur censuræ. nam ea quæ ad certum tempus est positâ, non potest tolli ab inferiore ante tempus elapsum. vnde etiam ij, qui aliquo amplius habent facultates absoluedi à suspensione, non possunt huiusmodi suspensiones ad tempus positas tollere ante aduentum termini, sed is solus, qui tollit vel eius superior. quia præfigendo tempus virtute sibi reservat censuram, quod si ante illud tempus non tollatur, accedente termino per se statim tollitur sine nouâ absolutione. quia id in ipsâ censurâ involuitur, & ea est mens ferentis censuram. Id ipsum censent varij de suspensione positâ vti, que ad certam conditionem, ut donec parti satisfeceris, tolli scilicet censuram per satisfactionem parti exhibitam. videri potest Toletus lib. 1. c. 46.

Quoad formam absolutionis, & alia ad debite absoluedum à suspensione, videri potest dub. vltimum q. 1.

Hic varij agunt de depositione, & degradatione, quæ aliquam cum suspensione habet affinitatem, sed huius notitia ministro Sacramentorum vix vllō modo est necessaria, ideoque eam prætermittimus. videri potest Suarez disp. 30. & Summistæ. hæc omiſſa non videtur incongruum varias suspensiones in iure positas explicare. itaque

DVBIVM V.

De varijs suspensionibus, quæ contrahuntur in Ordinum susceptione.

PRIMA suspensio est quam contrahitis, qui ordinatur ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu, qui quoad locum, & dignitatem. nullus enim potest à tali sacros ordines recipere, etiam ex licentiâ proprii Episcopi, & si eos scienter recipiat, suspenditur, ut patet ex cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu. & quidem, ut colligitur ex textu, suspensio est Pontifici reservata. est verò suspensio ab ordine ita suscepto, quod si probabiliter ignorauerit eum renuntiasse dignitati Episcopali, hanc suspensionem non incurrit, ut patet ex textu. nec similiter eam incurrit, si solum recipiat minores Ordines, quamvis scienter, quia Pontifex censuram solum opponit receptioni sacrorum Ordinum. videri potest dub. 14. de Sacramento ordinis, ubi etiam eâ de re agitur.

Secunda suspensio est quam incurrit is, qui ordinatur ab alieno Episcopo sine licentiâ proprii, iuxta Extrau. *cum ex sacrorum*, Pij 2. quam refert Nauar. cap. 25. nu. 20. & cap. 27. nu. 154. ubi

Notandum hanc suspensionem solum incurri propter receptionem sacrorum ordinum, ut patet ex extrauagante. 2. requiri præsumptionem, ut ex eadem patet. itaque licet aliquis peccet recipiendo sacrum ordinem ab alieno, si tamen non faciat

cum præsumptione, non incurrit hanc censuram. videri etiam potest Trid. sess. 23. cap. 8. de reformatione, ex quo patet 1. per hanc suspensionem ordinatum solum impediri ab executione ordinis ab alieno susceptorum. 2. tamdiu durare, quamdiu proprio Ordinario videbitur, unde relaxatio huius suspensionis ita referuatur proprio Ordinario, vt ij, qui habent priuilegium absoluenti à suspensione, non possint eam relaxare.

Hanc suspensionem non incurrit, qui ordinatur ab alieno, quando proprius Episcopus est suspensus propter collationem ordinum (scilicet eo quod præsumpserit alienum ordinare sine licentiâ proprii) & suspensio est manifesta, item quando quis ordinatur ab eo, de cuius est familiâ, seruatis conditionibus requisitis à Trid. sess. cit. cap. 9. de reformatione. videri potest dub. 14. citatum.

Tertia suspensio est, quam incurrit is, qui non coarctatus occasione beneficii recepti vel recipiendi sacrum ordinem recipit intra annum sede vacante; hic enim suspenditur ab beneplacito futuri Prælati ab executione ordinum. ita Trid. sess. 7. cap. 10. de reformatione. hæc suspensio videtur esse ab ordine ita suscepto. non incurritur vbi Trid. non est receptum.

Quarta est ea, quam incurrit is, qui præsumit sacros ordines recipere extra tempora, vel ante legitimam ætatem, extrau. cum ex sacrorum, cit. videri potest dubium 17. de Sacramento ordinis vbi aliqua annotantur circa suspensionem eius, qui ordinatur ante ætatem. hæc suspensio non est referuata.

Quinta est, quam incurrit is, qui eodem die plures sacros ordines recipit, cap. literas, de temporibus ordinationum. quæ suspensio incurritur ab eo, qui duobus diebus continuato ieiunio duos sacros ordines recipit vt cap. cit. est verò suspensio ab executione posterioris ordinis recepti, estque Papæ referuata. videri potest dub. 15. de Sacramento ordinis.

Sexta est quam incurrit is, qui per saltum promouetur. is enim non potest in ordine recepto ministrare, antequam inferiorem prætermisum receperit. de quâ suspensione videri potest dub. 19. de Sacramento ordinis.

Septima incurritur ab eo, qui sine titulo sacros ordines recipit. de quo videri potest dub. 18. de Sacramento ordinis. vbi etiam agitur de suspensione, quam incurrit is, qui paciscitur cum Episcopo ordinante vel alio præsentante de non petendâ sustentatione. quæ suspensio referuatur Pontifici, item de eo qui fictum titulum conficit, vel sufficientem, cum non sit sufficiens, huiusmodi suspensiones sunt à functionibus sacrorum ordinum.

Octaua suspensio est quam incurrit Regularis clericus, qui excommunicatus propter percussione clericum ordines suscipit, cap. cum illorum, de sententiâ excommunicationis. quod quidem extendunt ad omnem iæreticum censurâ. sed cum ex alijs iuribus id minus sufficiens colligatur, & c. solum agatur de præsentis casu, talis extensio non videtur admittenda, cum pœnæ potius sint restringendæ.

Aduerte ad hoc, vt ea censura incurrat, requiri, vt ordo recipiatur scienter in contemptum disciplinæ Ecclesiasticæ, vt habetur cap. cit. vnde qui ignorans excommunicationem præbere huiusmodi impedimentum ordines suscipit, non incurrit censuram, quamuis ignoratiam esset crassa, vel etiam

supina, est autem suspensio ab ordine suscepto etiam minore, & ab officio, per quod videntur intelligi actus iurisdictionis, seu à iurisdictione solum: in enim esset ab officio simpliciter, impertinenter Pontifex poneret, ab executione suscepti ordinis, cum eo ipso quo suspenderetur ab officio simpliciter, suspenderetur ab omni ordine iuxta notata dub. 2. hæc suspensio non videtur referuata.

Nona incurritur ab eo qui durante matrimonio etiam non consummato præsumit suscipere sacros ordines extra casus à iure concessos. ita extrauaganti, antiqua, Ioannis 22. de voto.

Notandum ad hanc censuram incurrendam requiri præsumptionem. vnde qui solum ex ignorantia, procedit, licet crassa, vel supina, non suspenditur, & soluto matrimonio potest in ordinibus ministrare si nullum aliud intercedat impedimentum, & multo magis, si bonâ fide processerit: durante tamen matrimonio non potest si præsumpserit ordinem suscipere, non potest in eo ministrare, etiam soluto matrimonio, nec potest ad alium ascendere, vel promoueri ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, & nisi talis profiteatur in religione approbatâ solus Pontifex potest eum absolueri, vt extrau. cit. si profiteatur, potest diæcesanus dispensare, vt ibidem habetur.

Decima incurritur ab ultramontanis qui ordinantur ab Episcopis Italiæ contra dispositionem cap. 1. de temporibus ordinationum, in 6. videturque suspensio simpliciter, estque ita Pontifici referuata, vt etiam penitentiarij Pontificis ab ea non possint absolueri.

Vndecima incurritur ab eo qui ordinatur etiam à proprio Episcopo in alienâ diocesi absque licentiâ ordinarij loci, can. Episcopum 9. q. 2. quod expressius habetur in Trid. sess. 6. cap. 5. de reformatione. videtur autem esse suspensio ab executione ordinum ita susceptorum, nec est referuata. per idem Trid. sess. 14. cap. 2. de reformatione suspenduntur ab executione ordinis suscepti ab Episcopis titularibus, sine licentiâ proprij quamdiu proprio Prælati visum fuerit.

Duodecima incurritur ab eo qui ordinatur ab hæretico, schismatico, deposito, degradato, excommunicato, suspensio quoad collationem ordinum, interdicto, quia tales non habent vsum ordinis, & proinde eum dare non possunt. intelligitur autem incurri prædicta suspensio, quando illos tenemur vitare. videri potest dub. 14. de Sacramento ordinis. quod si non sint tolerati, quamuis is, qui ab illis ordinatur hoc ignoret, incurrit simpliciter impedimentum exercendi functiones Ordinis suscepti, quod tamen potest tollere ordinarius, sicut potest absolueri à censurâ quando illa incurritur.

Similiter suspenditur qui suscipit ordines ab eo quem nouit simoniacum, canone si qui à simoniaco, i. q. 1. & cap. per tuas 2. de simonia, si videlicet is non sit toleratus. si non nouit simoniacum, non incurrit quidem censuram, incurrit tamen impedimentum propter rationem iam allatam.

Decima tertia incurritur ab eo, qui simoniace ordinatur, extrau. cum detestabile, inter communes tit. de simonia. videtur autem esse ab executione ordinum legitime susceptorum, vt communiter Doctores, & fauet extrau. citata. censura non est referuata. præter hanc pœnam alias grauissimas incurrit per constitutionem Sixti quinti, anni 1588. quam quoad hoc confirmauit Clemens 8. anno 1596.

40.

Nona suspensio,

Extrau. antiqua.

41.

Decima suspensio,

42.

Vndecima. Can. Episcopum.

43.

Duodecima.

Can. si qui à simoniaco.

44.

Decimater. Extrau. cum detestabile.

Cap. quia
periculosum.

45.

Notandum quod licet praedicta causa inueni-
rentur in consecratione alicuius in Episcopum, is
tamen suspensionem non incurreret. tum quia in
canone non fit mentio Episcopi, cum tamen ad
hoc, ut Episcopi censuram suspensionis incurrant,
debeat illorum mentio fieri, ut supra diximus ex
cap. quia periculosum, de sententia excommunica-
tionis, in 6. tum quia in iure sub ordinatione vel
ordine, communiter non solet comprehendi Epis-
copalis consecratio.

DUBIUM VI.

De suspensionibus, quas incurrunt
Episcopi.

46.

Primò.

Cap. eos,
qui.

Trident.

47.
Secundò.

Cap. nullus.

Petitio.

Resp.

49.

Tertiò.

50.

Quartò.

51.

Quintò.

PRIMò Episcopus suspenditur per annum à
collatione ordinum, qui scienter, vel affectatà
ignorantià, vel quocumque alio figmento quaesito
praesumit ordinare alienum sine licentià proprij.
ita cap. eos qui, de temporibus ordinationum, in 6.
hæc suspensio incurritur propter collationem et-
iam minorum ordinum, estque suspensio à colla-
tione omnium etiam minorum, non tamen incur-
ritur propter collationem primæ tonsuræ. eandem
suspensionem incurrunt Abbates & alij, qui ex
privilegio possunt conferre minores ordines. quia
verba canonis sese extendunt ad omnes eos qui
possunt ordines conferre. eadem censura renoua-
tur in Concil. Trident. sess. 23. cap. 8. de reforma-
tione. videri potest dubium 14. de Sacramento
ordinis.

Secundò suspenditur per annum à collatione
primæ tonsuræ is, qui praesumit eam conferre in-
fanti (nisi infans religionem intraret) item illite-
rato, vel homini alienæ diocesis, absque licentià
proprii, vel coniugato nolenti intrare religionem,
aut ad sacros ordines promoueri casibus à iure
concessis. ita cap. nullus, de temporibus ordinatio-
num. ad hanc censuram incurrendam requiritur
praesumptio, ut patet ex textu. unde non sufficit
quod conferens id faciat ex ignorantia crassa, vel
etiam supinâ. per infantem intelligitur nondum
septennis. hæc suspensio incurritur etiam ab eis,
qui ex privilegio primam tonsuram conferre pos-
sunt.

Petes utrùm suspensio huius cap. incurratur
propter collationem ordinum? affirmant aliqui,
sed cum canon solum faciat mentionem primæ
tonsuræ, non est quod penam extendamus ad alios
casus propter aliquam ratiocinationem à simili,
vel minori.

Tertiò suspenditur per annum ab exercitio
Pontificalium Episcopus titularis, qui confert or-
dines vel etiam primam tonsuram alicui etiam
suo familiari, seu domestico absque expresso con-
sensu, aut dimissionis proprii Prælati. ita Trident.
sess. 14. cap. 2. de reformatione.

Quartò Episcopus exercens Pontificalia in
diocesi alterius sine expressâ licentiâ Ordinarij
loci suspenditur à Pontificalibus. unde licet Epis-
copus titularis exercens Pontificalia in loco exem-
pto, vel nullius diocesis cum licentiâ Abbatis non
incurrat hanc censuram indefinitè latam, eam ta-
men incurrat si illa exerceat in loco subdito Epis-
copo absque expressâ eiusdem licentiâ.

Quintò Episcopus suspenditur per annum à
confirmatione & consecratione Episcoporum, si
in causis pertinentibus ad electionem Episcopo-

rum se intromittat post appellationem ad sedem
Apostolicam, quamvis partes ab eâ recedant, nisi
factâ diligentia constet nullam intercessisse prau-
tatem, procedatque ad Episcoporum Confirma-
tionem, & consecrationem.

Sextò suspenditur per annum ab executione
officij Episcopus delegatus in causâ alienationis
rerum Ecclesiasticarum, si vtatur suâ potestate in
detrimentum Ecclesiæ per gratiam, timorem, aut
sordes, ut Paulus 2. in bullario.

Septimò suspenditur Episcopus à collatione &
institutione beneficij, si admittat resignationes
beneficiorum contra formam praescriptam extran.
quanta Pij V. quæ suspensio extenditur ad quosvis
collatores, etiam capitula.

Octauò suspenditur Episcopus, Archiepisco-
pus, Patriarcha locans aut quouis alio titulo con-
cedens domum publicè feneratori alienigenæ, &
non oriundo de suis terris, vel permittens in il-
dem habitare, cap. 1. de viuris, in 6. hæc suspensio
est tam ab officio, quam beneficio, quam si per
menssem sustinuerit, terra illius subiacet Ecclesia-
stico interdicto quamdiu vsurarij in eâ commo-
rantur. alij particulares, qui idem præstant, excom-
municantur, vniuersitates seu collegia interdiciun-
tur, cap. cit.

Nonò suspenditur per triennium ab officio
Episcopus, vel superior, qui odio, gratiâ, amore,
vel ob lucrum aut commodum temporale contra
iustitiam, & conscientiam suam omiserit proce-
dere in casu hæresis, vel ob dictas causas posuerit
alicui impedimentum in officio inquisitionis. ha-
betur Clement. 1. §. Verò, de hæreticis, alij inqui-
sitores praedictis modis delinquentes excommu-
nicantur excommunicatione relictâ Pontifici.

Decimò Episcopus suspenditur à Pontificali-
bus, qui non seruat extrauagantem secundam, de
electione, Ioan. 22. quoad perceptionem fructuum
primi, & secundi anni, & insuper suspenditur, seu
interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, Capitulum, vel
Vniuersitas interdicitur, personæ priuata ipsi fa-
cto excommunicantur, ut patet extran. cit. suspen-
sio, & interdictum cessant, quando integra sit res-
titutio, ut ibidem patet.

Vndecimò Episcopus, Abbas, vel alij Prælati
recipientes promotionem, vel confirmationem à
sede Apostolicâ, suspenduntur ab administratione
fructuum ipsarum Ecclesiarum, seu Monasterio-
rum, si absque litteris præsumant recipere admi-
nistrationem, & capitula eos recipientia suspen-
duntur à perceptione suorum beneficiorum. ho-
rum posteriorum suspensio reseruata est Ponti-
fici, videri potest extrauag. de electione inter
communes.

Duodecimo Episcopus concubiniarius, qui mo-
nitus à synodo Prouinciali non abstinet, ipso facto
suspenditur per Concil. Trident. sess. 23. cap. 14.
de reformatione. suspensio est tam ab officio,
quàm beneficio. non est reseruata.

Decimotertiò simoniacè Ordinans suspenditur
à collatione quoruncumque ordinum & tonsu-
ræ, ab executione munerum Pontificalium, inter-
dicitur ab ingressu Ecclesiæ, & si spretis his cen-
suris temerè in præmissis se ingesserit, eo ipso in-
currit suspensionem à regimine, & administratio-
ne Ecclesiæ, ac perceptione fructuum eiusdem, &
quoruncumque suorum beneficiorum, & horum
relaxatio summo Pontifici reseruatur. patet ex
constitutione Sixti V. anno 1588. quoad hoc con-
firmata per Clementem 8. anno 1596. ordinans
recipiens

recipiens promissionem, vel iuramentum quod ordinatus cum non inquietabit, suspenditur per triennium à collatione ordinum, scilicet quorumvis, cap. penultimo de simonia.

Varij etiam censent suspendi Episcopum, qui submittit & subicit laicis bona immobilia Ecclesie absque consensu capituli & speciali sedis Apostolicæ licentiâ. cap. hoc consultiſſimo, de rebus Ecclesie non alienandis, in 6. sed cum nomen prælati, quod ponitur in cap. cit. possit commodè accipi de alijs infra Episcopum, & de cætero non fiat mentio Episcopi, vel Episcopalis dignitatis, aut functionis, quæ necessariò sit Episcopalis, probabilius videtur Episcopum eo decreto non comprehendi iuxta cap. quia periculosis, de sententia excommunicationis in 6.

DVBIVM VII.

De suspensionibus religiosorum.

61. **P**RÆTER eas, quæ sunt illis communes cum alijs clericis, & eas, quas etiam interdum incurrit superiores regulares, quas dubio superiori explicuimus

Primò suspenditur religiosus Apostata ordinem sacrum in apostasia suscipiens. est verò suspensio ab ordine in apostasia suscepto, estque Pontifici reservata. ita cap. ultimo de apostatis. videturque etiam intelligenda de eo, qui indebitè transit ad aliam religionem, ita ut teneatur redire ad priorem, quia talis est verè apostata.

Secundò suspenditur ab officio religiosus præsidens monasterio, prioratu, Ecclesia, si iura, redditus aut possessiones ad vitam, seu ad certum tempus concedat, nisi necessitas, vel utilitas monasterij &c. id exposcat, accedente consensu conventus, vel si conventum non habeat proprij prælati. Clem. 1. de rebus Ecclesie non alienandis.

Tertiò Clem. 1. de decimis suspenduntur ab officiis, administrationibus, & beneficiis religiosi præsumentes appropriare & iniquè usurpare decimas ad selegitimè non spectantes, vel fraudantes Ecclesias in casibus dictæ Clem. suspenduntur, inquam, nisi requisiti infra mensem destiterint, idque donec restituant. qui non habent administrationem vel beneficium, excommunicantur.

Quartò si religiosi requisiti à Rectoribus Ecclesiarum scienter postposuerint contentibus conscientiam facere de soluendis decimis, suspenduntur ab officio prædicandi, donec contentibus conscientiam fecerint (si possint) & si suspensi præsumperint condonari, ipso facto excommunicantur. Clem. sapientes, de penis.

Quintò Clem. 1. de privilegijs §. quibus, suspenduntur prælati religiosorum, qui requisiti neglexerint intra mensem satisfacere in his, quæ occasione quorundam excessuum ibi enumeratorum ad eos pervenerint, duratque suspensio usque ad debitam satisfactionem.

Sextò Clem. 1. de statu monachorum §. si quis, Abbas (Benedictini ordinis) vel Prior non habens Abbatem, non utens vestitu secundum formam præscriptam prædictæ Clem. suspenditur à collatione beneficiorum, alij suspenduntur per annum ab administratione; si nullam habeant, redduntur inhabiles per annum ad administrationem & beneficium obtinendum. quas penas cum proportionem incurrunt ad biennium, si venationi vel au-

cupationi clamose, vel alijs cum canibus, aut alibus ex proposito interfuerint.

Septimò per cap. non solum, de regularibus, in 6. Septimò. Prædicatores, & Minores suspenduntur à receptione ad professionem, si aliquem ante elapsum annum probationis præsumperint ad eam recipere. quæ suspensio cap. sequenti extenditur ad alios mendicantes recipientes ad professionem ante annum probationis elapsum. ex antecedentibus autem capituli colligi potest non solum suspensio ipsa Capitula, sed etiam personas singulares, cum prohibeantur sub penâ excommunicationis ante annum recipere, excommunicatio autem non feratur in capitulum, sed in personas singulares. unde qui præsumperit dare suffragium, effectu secuto non possunt etiam alibi ad professionem recipere.

Octavò extrau. 1. de simonia inter communes suspenduntur capitula, & conventus præsumptoria exigere ab iis, quos recipiunt, pastus, prandia, iocundalia, pecunias, aut res alias etiam ad usum Ecclesiasticum. comprehenduntur verò etiam conventus forinarum, & suspensio est Papæ reservata. personæ singulares in eo concurrentes excommunicantur excommunicatione Papæ reservatâ. ubi tamen consuetudine derogatum est canonibus, ita ut non censeatur committi simonia etiam iuris humani, & ea requirantur, ut monasterium non grauetur in vestitione, vel professione religiosi, prædictæ censuræ non incurrunt. quod indicat Lessius lib. 2. de iustitia cap. 35. dub. 12. num. 90.

DVBIVM VIII.

De quibusdam alijs suspensionibus.

69. **P**LURES sunt aliæ suspensiones, quæ possunt incurrere tam à clericis secularibus, quam à religiosi.

Primò per cap. hoc consultiſſimo, de rebus Ecclesie non alienandis, in 6. suspenduntur prælati (scilicet tam regulares, quam seculares, inferiores Episcopis) submittentes, ac subicuentes laicis bona immobilia Ecclesie absque cōsensu capituli, & speciali sedis Apostolicæ licentiâ. hæc suspensio est ab officio, & administratione, scilicet beneficij in Ecclesia gravatâ. glossa verò existimat esse ad triennium, quia particulam, triennio, quæ habetur in alia parte, hanc etiam refert. clerici scientes simile quid factum, negligentes superiori denunciare suspenduntur ad triennium à perceptione beneficiorum, quæ obtinent in Ecclesia sic gravatâ, ut habetur cap. cit. unde patet hanc suspensionem solum respicere clericos Ecclesie gravatæ.

Secundò per cap. quia sepe, de electione, in 6. Secundò. suspenduntur ab officio, & quibuscumque beneficiis, donec restituerint ij, qui vacante Ecclesia Cathedrali, Regulari, aut Collegiatâ bona ab ipsarum prælati dimissa, vel tempore vacationis obvenientia, quæ in utilitatem prædictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris successoribus deberent reservari, præsumunt occupare, dividere, surripere, dilapidare, & consumere. quæ suspensio non solum comprehendit singulares personas, sed etiam Capitula, Conventus, Collegia, ut satis patet ex initio cap. porro per bona intelliguntur etiam emolumenta omnia, quæ ad prælatos pertinerent deductis expensis, ut decernitur Clem. statutum, de electione.

Tertiò per cap. si quorundam, de solutionibus,

suspenduntur ab administratione spiritualium, & temporalium ij, qui præsumunt pro alienis debitis gravare Ecclesiam sibi commissam, vel sigilla concedunt, quibus Ecclesia gravari possit. suspensio videtur esse ab omni administratione, & non solum in Ecclesia gravata, estque indefinita. non est reservata.

72.
Quartò.

Quartò suspenduntur à sacris ordinibus, & dignitatibus qui sponte iuramentum præstant de tenendo schismate, cap. 1. de schismaticis. hæc suspensio est indefinita quoad tempus, & dignitates, proinde suspendit ab omnibus dignitatibus, quas aliquis possidet, non tamen ab aliis beneficiis. ut verò aliquis eam incurrat requiritur, ut sponte iuret. unde qui metu etiam levi id iurat, hanc censuram non incurrit. non est reservata.

73.
Quintò.

Quintò beneficiarij, qui utuntur vestibus contra formam Clem. 2. de vitâ, & honestate clericorum, si habeant beneficia simplicia, nec sint sacerdotes, suspenduntur per sex menses à perceptione fructuum beneficiorum, scilicet omnium; si verò habeant dignitatem, personatum, beneficium cui incumbit cura animarum, vel sint sacerdotes, & quilibet religiosi suspenduntur per annum à perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent. quod intelligitur, si in eo mortaliter peccent. quod multum pendet à consuetudine. adde, nisi etiam quoad penam contrario usu isti Clementine sit derogatum, prout saltem respectu secularium variis in locis derogatum videtur. vnusquisque regionis suæ consuetudinem consideret.

74.
Sextò.

Sextò suspenditur per annum ab executione officij iudex ordinarius vel delegatus, qui contra conscientiam, & contra iustitiam aliquid facit in iudicio in gravamen alterius partis per gratiam, vel sordes, ut cap. 1. de sententiâ, & re iudicatâ, in 6. ex quo capitulo patet suspensionem non tantum esse ab officio iudicandi, sed etiam ab officio diuini. quia si durante suspensione se ingerat diuinis, sit irregularis, ut ibidem dicitur. Notandæ particulæ quæ requiruntur, ut hæc suspensio incurratur, scilicet quod sit iudex ordinarius, vel delegatus, quod faciat contra conscientiam. unde non incurrit, si non faciat contra conscientiam, etiam si forte mortaliter peccaret faciens aliquid illicitum ex ignorantia eorum quæ ad officium suum pertinent, vel ex incuria in examinando id quod facit. 2. requiritur, quod faciat contra iustitiam. non incurrit ergo hanc censuram, licet faciat contra conscientiam, v. g. erroneam, si in re ipsa non sit vlla iniustitia. 4. requiritur ut id quod facit cedat in gravamen partis. 5. ut id fiat in iudicio. 6. ut faciat per gratiam, vel sordes, v. g. 2. iurorum precibus, pretio, gratiâ &c. corruptus.

75.
Septimò.

Cap. Si compromissarius.

Septimò si compromissarius eligat indignum ad Episcopatum, vel superiorem dignitatem, suspenditur per triennium à beneficiis, quæ possidet in Ecclesia, quam offendit. patet ex cap. si compromissarius, de electione, in 6. non comprehenduntur Episcopi delinquentes.

76.

Octauò.

Consimilem suspensionem incurrit is, qui aliquis electionem, postulationem, provisionem impugnans deficit in probatione eius, quod obicit in personam, ut habetur cap. cit. quæ suspensio triennis extenditur ad eum qui deficit in probatione in personam in dignitatibus, personatibus, canonis cap. 1. eiusdem tituli.

Octauò clerici eligentes indignum ad Episcopatum, vel inferiora beneficia curam animarum

habentia contra formam cap. cum in cunctis, suspenduntur per triennium à beneficiis, ut patet ex 1. ultimo cap. cit.

Nonò suspenduntur per triennium ab officiis, & beneficiis ij qui præsumperint celebrare electionem in beneficiis per abusus potestatis secularis cap. quisquis, de electione.

Decimò clerici inferiores Episcopis, qui dum visitant, vel sunt visitantium familiares, præsumunt non servare constitutionem Innocentij 4. cap. Romana, de censibus, in 6. de non recipiendis pro visitatione, aut debita procuratione, pecuniis, aut aliis muneribus, suspenduntur ab officio, & beneficio, donec duplum restituant Ecclesiis gravatis, ut patet cap. exigit, eodem titulo.

Vndecimò suspenditur ab officio is, qui recipit oblationes ab usurario, vel eum tradit sepulture, donec ad arbitrium Episcopi satisfaciatur, cap. quia in omnibus, de usuris. post extra. ad curandam, debet intelligi de eo, qui nominatim est condemnatus de usuris. suspensio non est reservata.

Duodecimò suspenduntur, qui conferunt, vel recipiunt beneficia eorum qui pro suis negotiis ad Curiam Romanam proficiuntur, vel in ea officia aliqua exercent, extra. 3. inter communes, de privilegiis. suspensio est ab officio, & beneficio. non est reservata.

Decimotertiò conservatores, qui de alijs, quam de manifestis iniuriis, & violentis scienter se intromiserint, seu ad alia, quæ iudiciale indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, suspenduntur ab officio per annum. patet cap. ultimo de officio delegati, in 6. suspensio est ab omni officio, ad quam incurrendam requiritur scienter se intromittant. unde non sufficit, quod id faciant ex ignorantia etiam crassa, quidquid dicat glossa ibi, verbo, scienter.

Decimoquartò suspenditur per triennium ab executione ordinum (scilicet omnium) præsumptans alium ad ordinem, recipiens ab eodem provisionem, vel iuramentum, quod super sua provisione eum non inquietabit, cap. penultimo de simonia.

Decimoquintò qui præsumit excommunicare, suspendere, interdicere, non proferens sententiam in scriptis continentibus causam, item eam non subsignans, cuius exemplar requisitus de re intra mensem si petat, suspenditur per mensem à diuinis cap. 1. de sententiâ excommunicationis, in 6.

Decimosexto suspenditur omnis sacerdos tam secularis, quam regularis, qui sine licentiâ proprii parochi audeat aliquos matrimonio coniungere, vel benedicere, donec ab Ordinario dicti parochi absolatur. ut patet ex Trident. sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij. hæc suspensio videtur esse ab officio sacerdotali, requiriturque præsumptio ad illam incurrendam.

Hos modos suspensionum sumptimus ex disp. 31. Suarez, præter quos plures alij à variis ponuntur, & in particulari de clerico concubinario notosio. sed si bene considerentur, non sufficienter colliguntur ex iure, vel non tam continent suspensionem, quam interdictum, ut varij modi positi à Navarro cap. 27. num. 154. & sequentibus, item varij positi ab Henriquez lib. 13. cap. 36. & sequentibus, Toletio lib. 1. cap. 47. & sequentibus, vel continent depositionem.

Notandum verò plerasque suspensiones hoc ultimo dubio relatas posse etiâ à religiosis incur-

ri. in his & alijs etiam aduertendum plerumque requiri præsumptionem scientiam, unde facile patet varios eas non incurtere, licet de cætero peccent.

Denique videndum, an & quatenus canones illas imponentes sint in usu etiam quoad penas, sicubi enim vel non sint recepti, vel saltem quoad penam abrogati, contrauenientes censuram non incurrunt.

QVÆSTIO IV.

De interdicto.

DVBIUM I.

Quid sit interdictum, & quæ eius causa?



MISSIS alijs acceptionibus interdicti ad præsens institutum non necessarijs Resp. interdictum esse censuram Ecclesiasticam, per quam prohibentur tam actiue, quam passiue aliqua Sacramenta, diuina officia, & sepultura Ecclesiastica. per censuram excluduntur ab interdicto quæcumque excluduntur à ratione censuræ. per aliam partem, quàm passiuè, excluditur suspensio quæ propriè, & per se non impedit receptionem Sacramentorum, auditionem diuinorum, Ecclesiasticam sepulturam, sed usum, & exercitium potestatis Ecclesiasticæ, iuxta dicta superiori quæstione. adde suspensionem solum ferri posse in personas Ecclesiasticas, interdictum verò etiam in saculares, imò & in loca, ut infra dicemus. differt etiam ab excommunicatione quòd ea non feratur in loca, vel etiam communitates, & quamuis excommunicatio habeat omnes effectus interdicti, eos tamen sub aliâ ratione fertur, ut patet ex dub. 3. q. 1. quia interdictum priuat quibuscumque bonis secundum se spectatis, ibi sistendo: excommunicatio verò priuat iisdem, ut sunt bona quædam communita, quibus fideles inter se communicant; iisdem priuat suspensio, ut sunt usus potestatis Ecclesiasticæ, quâ ratione interdictum etiam differt à suspensione.

Causa efficiens interdicti est omnis habens iurisdictionem ordinariam vel delegatam in foro contentioso, non impeditam, de quo q. 1. dub. 4.

Causa materialis, seu iij, qui possunt interdicti, sunt omnes superiores in spiritualibus agnoscen-tes, nec solum singulares personæ possunt interdicti, sed etiam communitates, & loca, v. g. ciuitas, provincia, Ecclesia, ut in sequentibus. Episcopi tamen, & superiores non interdicuntur, nisi in iure vel sententiâ eorum fiat mentio, ut statuitur cap. quia periculosum de sententia excommunicationis in 6.

Causa, propter quam ferri potest interdictum, communiùs debet esse peccatum mortale, & quidem graue. quia communiùs interdictum est grauis poena, & proinde causa non potest esse leuis, dico, communiùs, quia leue aliquod interdictum, v. g. ab ingressu Ecclesiæ per mensem &c. videtur posse ferri pro culpa veniali. imò Henriquez lib. 13. cap. 50. nu. 2. & Auila 5. parte disp. 3. dub. 2. conclus. 2. existimant interdictum personale speciale simpliciter dictum posse ferri pro veniali, quod tamen non videtur ita probabile, cum tale interdictum

respectu personæ, sit gratis poena: & ita tenet Suarez disp. 36. sect. 3. nu. 3.

Aduerte 1. quòd licet ad hoc, ut quis astringatur interdicto, non requiratur, ut ipsemet peccauerit, speciale tamen interdictum non possit ferri nisi propter peccatum eius, qui interdicatur, vel alicuius valde coniuncti, v. g. propter peccatum mariti respectu interdicti vxoris, in alijs non sufficit culpa alicuius priuati, sed requiritur culpa Domini, vel Rectoris Ecclesiæ, vel communitatis, quia priuati non censentur ita priuatis coniungi, ut grauat alijs is, qui peccauit, censetur puniri, nec potest ita grauari communitas pro culpa alicuius priuati. non tamen requiritur ut peccauerit singuli, qui grauantur interdicto. videri potest cap. si sententia, de sententia excommunicationis, in 6.

Aduerte 2. interdictum locale non posse ferri pro debito pecuniario absque speciali, & expressa Pontificis licentiâ per litteras patentes apparente, & si quid secus tentetur, esse irritum, ut patet extrau. provide, inter communes, de sententia excommunicationis. quod non solum intelligitur de interdicto locali generali, sed etiam potest intelligi de locali particulari. quia textus id omnino patitur. imò Sotus dist. 22. q. 3. art. 1. post. 3. concl. Auila disp. cit. dub. 3. concl. 3. extendit ad interdictum personale generale propter paritatem rationis, quòd scilicet inde multa animarum damna sequantur. sed id videtur minus probabile, quia extrauagans solum agit de interdicto locali, & de cætero ex rei naturâ interdictum personale poni potest propter debitum pecuniarium. indicat Sa verbo interdictum nu. 8. & tenet Suarez disp. cit. nu. 9.

De formâ, quâ ferri potest interdictum egimus quæst. 1. dub. 11. dub. 12. diximus, num monitio necessariò sit præmittenda. videri possunt, quæ ibi dicta sunt necessaria, ut iudex licite procedat. quia verò interdictum potest esse locale, & personale, item generale, & speciale, absolutum, & ex parte &c. diligenter consideranda forma ut sciatur quale interdictum feratur, & an ius contineat interdictum latæ sententiæ, an solum ut feratur à iudice.

DVBIUM II.

De variâ interdicti diuisione.

INTERDICTVM varijs modis diuidi posse constat ex authoribus. 1. diuiditur in locale, personale, mixtum. Locale est, quo interdicatur locus, & prohibentur in eo quædam Ecclesiastica exerceri, ut in sequentibus explicabitur, non verò prohibentur personæ, nisi ratione loci, exceptis ijs, qui derunt causam interdicto, unde alij possunt alibi exercere diuina.

Personale immediatè afficit personas, & si sit absolutum, personæ interdictæ non possunt vlllo loco exercere ea quæ per interdictum prohibentur.

Mixtum comprehendit personale, & locale, ut si per eandem sententiam interdicantur, & locus aliquis, & personæ illius loci independentè ab illo.

Addunt aliqui ambulatorium, per quod interdicatur omnis locus, ad quem sese persona interdicta contulerit. ut si Petrus ita interdicatur ut etiam interdicatur omnis locus, ad quem se contulerit; sed, ut patet, hoc quartum genus est suo modo mixtum, & proinde non est necesse distinguere à mixto.

Interdictum tam locale, quàm personale diuiditur in